



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1650**

§. 5. Entropij lex Entropio pernitiosa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)



qui in cælum expuit, sputo suo foedatur, ita  
 qui contra Deum consulit, malum sentiet,  
 & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

S. V.

*Eutropij lex Eutropio pernitiōsa.*

Iob. 12  
 16.

Verè alius dixit: *Apud ipsum est fortitudo  
 & sapientia: ipse nouit & decipientem, & eum,  
 qui decipitur. Adducit consiliarios in stultum  
 finem, & iudices in stuporem; vt, dum stultè  
 consulunt, suismet consilijs irretiantur; ac  
 dum stupidè iudicant, ore suo iudicentur,  
 sententiaque propria damnentur; & legem,  
 quam in alios tulerunt, ipsi patiantur. Quo  
 pacto Eutropius Eunuchus, dum studeret in  
 quosdam, qui ad templum confugerant,  
 animadvertere, persuasit Imperatori, vt fer-  
 retur lex, qua templi religio nulli prodesset  
 nocenti. Lata lege factum est, vt Eutropius  
 cum offendisset Cæsarem irritata Augusta  
 Imperatrice, confugeret sub altare, vnde  
 deprotractus capite plexus est, suo ipsius  
 consilio perditus. Quam historiam non so-  
 lum tradidit Socrates in historia tripartita,  
 sed etiam Nicephorus his verbis: *Eutro-  
 pius Eunuchorū in Imperiali cubiculo princeps,  
 qui ad Consularem dignitatem peruenerat,  
 & pater Imperatoris vocatus fuerat, neq; pra-  
 sentis**

Niceph.  
 Callist.  
 l. 3. hist.  
 Eccl. c. 4.



sentis fortuna magnitudinem tulit, neq, quidquam de rerum humanarum mutabilitate cogitavit, sed ubi ulcisci quosdam in animum induxisset, magnopere contendit, ut Imperatores Constitutionem ferrent, ne quis ad Ecclesiam confugeret, sed etiamsi quis ad eam confugisset, & supplex Deo factus esset; atq, in templis metus causâ versaretur, ut inde extraheretur. Potissimum verò id fecit propter Pentadium clarissimi Ducis Timadij coniugem, quem magnâ gloria virum affectata Tyrannidis reum, a se actum, Oasim ad perpetuum exilium deportari curauerat. At ille siti, quemadmodum audiui, oppressus, aut ne peius quidquam pateretur, veritus, arenosis ibi locis errans statim vitam finit. Et Lex, quam Eutropius ferendâ curauerat, ad finem suum perducta est. Breui verò post, cùm Imperatorem offendisset, aut qui in Coniugem eius contumeliosus fuisset, primus ipse quam perferri studuerat Legem, statim violavit. Nam ex Imperialibus adibus profugiens supplex in Ecclesiam consedit. Tum Ioannes absurdum Eutropij conatum redarguens luculentam habuit Orationem, in Ambone seu suggestu, qui mos eius erat, quum populum doceret, ut omnes vocem eius exciperent, sedens. In ea oratione, quum eorum, qui potestatem, &

Magi-



Magistratus gerunt, supercilium & arroganti-  
 tiam quantum potuit, taxavit; tum popul-  
 rerum humanarum inconstantiam, qua eodem  
 loco manere non soleant, proposuit. Sed enim  
 qui hostili erga eum erant animo, & hoc ipsum  
 calumniosè reprehenderunt, illud carpentes  
 quum miserari potius casum eius qui de vita pe-  
 riclitatus sit debuerit, qui insuper arumnam  
 arguerit, afflictionem illius adarguens, & calu-  
 mitati insultans. Eutropius tam impij facin-  
 ris poenas non multò post propter multa quoque  
 alia delicta luit, capitali affectus supplicio. Lex  
 autem operà eius lata publicis monumentis sub-  
 lata, & nomen eius in catalogo & nomencla-  
 tura Consulatum expunctum est. Ecclesia autem  
 DEI legibus bene dudum constitutis enituit  
 ipso scilicet die apertam iniuriam vindicante.

## §. VI.

*Ancilla proditioni prodenti noxia.*

Paulò clementius, pro merito tamen  
 tractata est pecuniæ cupiditate perfida facta  
 ancilla, eodem authore teste, qui de S. A-  
 thanasio ita scribit: Dicitur sanè hic vir multa  
 ta & diversa, divino iudicio, evasisse pericula.  
 Quòd namque DEO esset perquam charus,  
 que futura erant, itidem et presentia per gra-  
 tiam Dei providebat. Multa certè, & admi-  
 randa

Niceph.  
 l. 9. hist.  
 Eccl. c. 34.